

secundum usque, sed aurae a sinu Mexicano afflantes calorem hunc temperant, et ad vigesimum quintum thermometri gradum plerumque ducunt. Incolae ibi utiliter serunt *Saccharum officinarum* L. In editiore regione temperies mitis, et grata fere omnibus anni tempestatibus. Agricolatio, ubique id fieri potest, valde exulta. Hinc regio uberrime fert gossypium, frumentum, *Zeam Mays*, aliaque cerealia. Sed quis non mirabitur, incolas, qui anno 1800. vix ad duo millia erant, anno 1820. jam ad centum et viginti octo millia pervenisse! Id calamitatibus nostris debetur, quae in numeros habitatores Europaeos illuc traxerunt.

Sed demum veniamus ad descriptionem plantarum Alabamensium, quarum paucas declarandas nunc sumo, ne vos fatigem; incipiam vero a *Semiflosculosis Syngenesiae polygamiae aequalis Linnaei*, sive a *Compositis Cichoraceis De Candollei* daturus reliquas in *Miscellaneis* successivis.

### LACTUCA.

#### *Xanthinae* De Cand.

1. **LACTUCA Alabamensis**: glabra; caule erecto, tereti; foliis superioribus linearibus, distantibus, abbreviatis, integerimis, nervo carinatis; racemo composito, laxifloro, pedunculis remote subtricephalis; acheniis ovatis, brevissime rostratis.

*Perenn.* Lecta in Alabama a Doct. GAVES. Floret Augusto. Caulis teres, striatus, simplex, in duobus meis exemplaribus tripedalis, sed cum haec careant parte inferiore, ideo certe longior. Folia caulina inferiora eorumdem exemplarium lanceolato-linearia, superiora linearia, angustissima, vix sex-octo lineas longa, omnia inter se valde remota, integerima, nervo dorsali prominente carinata, basi quidquam dilatata, et amplexantia, nec sagitata; caulina ima, et radicalia non vidi. Racemus terminalis, compositus, ramis alternis, remotis, vix ultra pollicem longis, bi-tricephalis, cephalis inter se dissitis, lateralibus brevissime pedicellatis, uno fere in basi. Bractea sub quovis ramo racemi exigua,

linearis, basi latior, lineam, aut sesquilineam longa, sub quovis pedicello adhuc minor, ovato-lanceolata. Cephalum pluriflorum, tamen angustum. Calathus cylindraceus, circiter quinque-sex lineas longus, caliculatus squamis brevibus, subtriserialibus, ovato-lanceolatis, margine membranaceo-pallentibus, externis brevioribus. Calathi squamae intimae octo, caeteris multo longiores, lineares, obtusiusculae, vix margine membranaceae. Semiflosculi pallide flavi, instructi tubo filiformi, longo, ligula dilatata, oblonga, apice multidentata, extus circa faucem villosa. Receptaculum nudum. Achenium ovatum, compressum, angulatum nervis distantibus, sub vitro minute ruguloso-scabrum, maturitate nigrum, rostro suo brevissimo multo longius. Pappus sessilis, simplex, niveus, achenio cum rostro triplo longior, pilis tenuibus, sub vitro remote scabridis. Tota planta glabra.

### NABALUS.

*Cass. Dict. d'hist. nat. tom. 34. p. 94. Hook. Fl. bor. Amer. 1. p. 293. De Cand. Prodr. 7. sect. 1. p. 240.*

2. *Nabalus quercifolius*: glaber; caule superne ramoso-paniculato; foliis remote denticulatis, angulatisve, inferioribus alato-petiolatis, tripartitis, laciinis lateralibus horizontalibus, impari trifida, supremis indivisis; paniculae ramis racemiferis, cephalis secundis; calathis glabris, squamis internis subdenis.

*Perenn.* Habitat, et floret cum praecedente.

Radix fusiformis, vel fusiformi-ramosa. Caulis teres, striatus, et subinde fere angulatus, erectus, a sesquipedie ad tres pedes longus, plerumque glaber, rarius subpilosus, apice solutus in ramos alternos, paniculatos, ut plurimum rubescens. Folia inferiora petiolata, opposite pinnatifida, sive tripartita, lacinia impari productiore, trifida, lateralibus horizontalibus, indivisis, suprema indivisa, oblonga, vel lanceolata; breviter petiolata, aut sessilia; cuncta remote calloso-denticulata, vel etiam angulata, acuta, aut obtusa, margine nuda, aut subciliata, reliqua superficie glabra, supra saturate viridia, subtus pallidiora. Petioli alati, in foliis imis